

DE. abī, Phaedria, eūm require atque huc adduce. *PH.* eo :
80 recta via quidem—illuc. *GE.* nempe ad Pamphilam. 310

DE. ego deōs Penatis hinc salutatum domum
devortar ; inde ibo ad forum atque aliquos mihi
amicos advocabo ad hanc rem qui adsient,
ut ne inparatu' sim si veniat Phormio.

PH. Itane patris ais adventum veritum hinc abiisse ? *GE.* 315
admodum.

PH. Phanium relictam solam ? *GE.* sic. *PH.* et iratum
senem ?

GE. oppido. *PH.* ad te summa solum, Phormio, rerum
redit :

tute hoc intristi : tibi omnest exedendum : accingere.

5 *GE.* obsecro te. *PH.* si rogabit . . . *GE.* in te spes est.

PH. eccere

quid si reddet ? *GE.* tū ĩmpulisti. *PH.* sic opinor. *GE.* 320
subveni.

PH. cedo senem : iam instructa sunt mi in corde consilia
omnia.

GE. quid ages ? *PH.* quid vis nisi uti maneat Phanium
atque ex crimine hoc

Antiphonem eripiam atque in mē ōmnem iram derivem
senis ?

10 *GE.* o vir forti's atque amicus. verum hoc saepe, Phormio,
vereor, nē ĩstaec fortitudo in nervom erumpat denique. 325

PH. ah